



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

A. Diss. 6350

DUBIA  
CIRCA HYPOTHESES ii  
PRINCIPIO  
JURIS NATURÆ,  
eiusdemque Vindicias,  
*VIRI CUFUSDAM CELE-  
BERRIMI,*

communicata

IAC. FRIDER. LVDOVICI,  
J.U.D. & in Acad. Frider. Prof.jur. Extr.




HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Impensis JOHANNIS JACOBI SCHUTZIL.

Typis Joh. Jacobi Krebsii Typog. Acad.

Digitized by Google

**Staatl. Bibliothek  
Regensburg**



## B. C. D.

### S. I.



Nnus est & quod ex-  
currit, ubi Tractatus quidam juris  
Gentium, quem de principio juris  
naturalis unico, vero & adquato  
ediderat Vir Amplissimus & Con-  
sultissimus, Dn. Samuel Cocce-  
jus, Professor juris in Academia  
Francfurtensi Ordinarius atque longe celeerrimus,  
ab Amico mihi transmittebatur, qui simul indicabat,  
quod pars posterior hujus tractatus oppugnationem  
eorum, que in *Delineatione historie juris naturalis* §.  
101. seqq. dixeram, contineret, quamvis dicta Deline-  
atio alteri quidam, JOHANNI Ludovici, sine dubio  
ex incuria Typothetæ in laudato Tractatu adscripta  
esset.

### S. II.

Deprehendi ex perlungatione, verum esse, quod  
A 3 Ami-

Amicus perscripserat, sed deprehendi simul etiam,  
Celeberrimum Autorem, quem & propter illustrem  
Parentem, veræ Eruditionis Restauratorem, & pro-  
pter propria merita summoperè colo, in Vindicijs  
hypotheseos suæ ejusmodi specimen benevolentia suæ  
erga me edidisse, ut ex merito illud deprædicare vix  
possim. Et hic ipse benevolus Viri Consultissimi ad-  
fectus calcarmihi addidit, quod dubia mea, quæ mihi  
adhuc circa Ejus hypothesin de Princípio juris na-  
turæ hujusque hypotheseos Vindicias supersunt, per  
pagellas hasce communicare decreverim.

## §. III.

Ut breviter & liquido de tota Controversia bene-  
volo Lectori constet, ante omniaritatem formandum esse  
puto statum controversiae. Et primò omnium qui-  
dem constare debet, quid per *jus natura* intelligatur.  
Evidem Vir Consultissimus in tract. part. prior. p. 3. in  
*f. inter jus naturæ & positivum sive revelatum univer-*  
*sale nullam vult agnoscerre differentiam, quia utrum-*  
*que ad omnes homines pertinet: me quoque non in-*  
*vasit ea arrogantia, ut mihi facultatem tribuam, pra-*  
*scribendi Viro Consult. quia ratione terminis & voca-*  
*bulis uti debeat; interim tamen hoc observandum*  
*esse putarem, quod quemadmodum ille medius ter-*  
*minus, quem d. p. 3. in f. prout docet contextus, nec*  
*non part. post. pag. 56. num. 5. adhibuit, *jus naturale**  
*nihil aliud est, quam quod DEUS (toti) humano generi*

con-

constituit, ergo quicquid DEUS toti humano generi constituit, illud est jus naturale, juxta regulas conversionis. Logicarum nullò modo procedit: ita quoque Vir Consultissimus ad minimum cù casu, ubi contra Grotium, in specie autem contra Pufendorff. (omnesque principiū socialitatis defendentes, inter quos & ego nomen profiteor) disputare animum induxit, vocabulum *juris naturae* ita, opinor, capere debuisset, prout illud Pufendorfius aliquę capere conservaverunt, alias enim omnia, quae adseruntur, eos planè non stringunt, quia rei diversam concernant. Quod verò Pufendorfius, Grotius aliquę jus naturale juri revelato opponant & distinctionem inter lumen rationis & revelationis etiam hac parte admittant, negari serio non potest, cum omnia eorum scripta: hac de materia edita idipsum ad nauseam usque resperant. Imò implicare ferè videtur, si quis sub vocabulo *natura* [prout juxta communem loquendi usum capit] revelationem quoque complecti velit. Per Vocabulum *juris naturae* ergò juxta eos, qui socialitatem defendunt, illud jus faltem intelligitur, quod ex sola ratione abstractiō ab omni revelatione demonstrari potest.

## §. IV.

Hoc unicum adhuc addo. Non video, quomodo defendi possit assertio Viri Consultissimi, quando pars. pr. p. 3. §. 3. dicit, quod *jus morale* [revelatum,

## DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

nam de eo sermo est) *aque sit innatum, quāmvis natura,* & quod, licet postea sit in scripturam redactum, non alia tamen fiat species. Quid enim sibi volunt verba Gentium Doctoris, quando Rom. 7. v. 7. de imbecilitate luminis naturae conqueritur, se cupiditatem non novisse, quod sit peccatum, nisi Lex dixisset, non concupisces? an ergo Cupiditas sive Concupiscentia, de qua loquitur lex moralis revelata, etiam fuit innata? dubitari posset ex supposito universali modo adlatu, nisi Apostolus questionem negaret, qui tamen in eadem Epistola Cap. 2. v. 15. opus Legis naturalis gentium cordibus inscriptum esse fatebatur. Sed cur concupiscentia turpitudinem non dicit innatam esse? Certè ex nulla alia ratione, quām quia illa socialitatem seu pacem externam non turbat. Quod ergo concupiscentia fit contra voluntatem divinam, de eo nemo dubitat; sed quod cognosci possit per solam rationem sibi reliquam, illud cum Paulo negamus.

### §. V.

Potè in eo convenire oportet, quid per principium juris nature intelligatur? De hoc enim nisi principiū solliciti simus, omnia confunduntur & quodnam denique sit objectum controversiarum nostrarum, benevolus Lector intelligere nequit. Duo autem vulgo statuuntur principia, unum *effendi*, quod nihil aliud est, quam ipsa causa efficiens & prima origo, alterum autem *cognoscendi*. Sunt hi termini

mini ex Metaphysica desumti, inquis; imò fateor, redolent metaphysicam, sunt tamen recepti & ad hoc prosunt, ut omnem homonymiam & lusum in vocabulo *principiis* evitemus: quemadmodum & illud iterum tanquam indubitatum fundamentum suppono, veteres scholasticos, adversus quos omnes recentiores Scriptores juris naturæ disputarunt, terminis metaphysicis quam maximè fuisse immersos & ergo ex illis principiis contra ipsos argumenta defunenda fuisse, & porro Virum Consultissimum quoque juxta eadem de doctrinis memoratorum scriptorum judicium ferre debere.

## S. VI.

Cilibet autem, qui scripta principium juris naturæ concernentia quadantenus saltem perlustravit, ignotum esse non poterit, de utroque principio, essendi & cognoscendi, præcipue autem de posteriore disceptatum fuisse. Plurimi ex Scholasticis *sancitatem voluntati divina opponebant* eamque principium essendi constituebant; hos resuavit Pufendorffius & omnia ex voluntate divina deducenda esse ostendit, quod & reliqui scriptores recentiores fecerunt, v. *Delincat. Histor. jur. mat. S. 68. seqq.* Non vero quicquani obstat, quod Pufendorffius terminis principii essendi & cognoscendi non semper utatur; nec enim eo opus erat, quia tunc temporis terminos illos nemo confundebat.

## S. VII.

## DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

### 3. VII.

*Quod principium cognoscendi attinet, veteres Scholastici quando turpitudinem vel bonitatem aliquujus actionis demonstrare volebant, perfidiam quandam creabant, deinde vero partim ad jus divinum revelatum, partim etiam ad Leges positivas humanas recurrentes exinde media suz demonstrationis petebant. Hanc methodum omnia pervertente & in decastrandis praeceptis juris naturalis ab omni Lege positiva abstractendum esse, docuit Pufendorffius, alias enim disciplina juris naturalis nomen peculiaris & separatae disciplina mereri non posset.*

### 3. ILX.

*Quid nunc, ut ad rem proprius accedamus, contra defensores principij socialitatis ostendendum erat, an hoc: Socialitatem non esse principium essendi, id est, eam non obligare renito DEO ejusque voluntate? an vero illud; socialitatem non esse principium cognoscendi voluntatem divinam? Prius certè non, quis enim, tam stolidus fuit, ut voluntatem divinam tanquam principium essendi, à quo obligatio ad socialitatem unicè profluit, non agnosceret? unde posterius saltem in quaestione manebit. Per hanc sententiam (de voluntate divina) inquit Pufendorff de J. N. & G. I. 2. c. 3. §. 5. Deus quidem auctor Legis naturalis constituitur,*

## NATURALIS EJUSQUE VINDICIAS.

*Vir, de quo nemini sano dubitari licet; verum illud abhuc  
in obscuro manet, unde denum voluntas ista divina sit  
ognoscenda & quo indicio constare possit, hoc vel illud  
sub lege naturali Deum voluisse comprehendere, add. l.2.  
cap.4. §.6. Quid clarius esse potest?*

### S. IX.

Interim tamen Viro Consultissimo nihilominus placuit, ut non solum in Disputatione inaugurali sua, sed etiam in tractatu deinde publicato hoc præcipue demonstrandum sibi fumeret, *socialitatem non esse principiam effendi juris naturalis*. Sed cum contrarium nemo unquam affirmaverit, non opus etiam esse videtur, ut huic quæstioni immoremur. Duo tamen adducit Vir Consultissimus, quæ ipsum moverint, ut hoc respectu contra socialitatem insurgeret. *Primo* nempe part. pr. p.38. §.39. adducit, Grotium statuere, *Darijus nature, et si DEUS non sit, addens, nullam profaniorem & in vita humana perniciosem, quæque profanis latius fenestram eludendo juri naturali apriat, sententiam esse.* Certè, si Grotius *per modum tñfesos* jus naturæ absque DEO dari propugnasset, profana omnino & perniciosa ejusdem esset sententia; at verò cum hoc saltē *per modum fictionis* fecerit & statim expressè subjunxerit: *sine summo scelere dari non posse, quod DEUS non sit, v. proleg. S. II. in tr. de I.B. Et P.* ut sic nihil aliud, quam fictio per impossibile, ut Philosophi loquuntur, remaneat; hinc, credo, tam prolixa & acerba refutatione opus non fuisse, præci-  
pue cum Vir Consultiss. part. post p.55.n.3. agnoscat, nec Grotium, nec alium quenquam, nisi Atheum, negasse,

B

quod

10. DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

quod DEO parendum sit, sed omnes illud supposuisse.

§. X.

Addit tamen secundò d. p. 55. n. 3. quod quamvis Grotius & Pufendorffius agnoscant DEI voluntatem, ipsi tamen eandem non agnoscant ut *primum & unicum disciplinæ juris naturalis principium*, quò pertinent, quæ *part. pr. p. 19. §. 8.* habentur, quod Defensores socialitatis voluntati divinæ aliud principium adjungant & aggregant, ac (prout porrò infertur d. part. pr. p. 26. §. 23.) aliquid *DEO coæcum* propinantr, *quod totum genus humanum obligaret eiq[ue] necessitatibus legem imponeres*. Videt Vir Consultissimus, totius dubii resolutionem à diversa acceptione Vocabuli *principii* dependere. Aut enim loquitur de principio effendi, aut cognoscendi. Sin prius, (prout sentire videtur, quando de eo, *quod DEO coæcum est*; mentionem injicit,) tunc Grotio & Pufendorffio aliquid imputatur, quod ipsis, prout ex eorum scriptis patet, nunquam in mentem venit. Interim tamen, utonus probandi in me hac parte suscipiam, exigi nequit, quia defensoris vice fungor & præterea pro tam celebris & eruditis viris præsumitio, quod tam absurdum quid de coævo DEI genus humanum obligante non statuerint, tam diu militat, donec contrarium probetur, & liquidò quidem, non autem per interpretationem à mente eorum planè alienam.

§. XI.

Quod si verò Vir Consultissimus Grotium & Pufendorffium in eo peccasse putat, *quod præter principium effendi unicum, verum & adæquatum (volunta-*

tem

## NATURALIS EJUSQUE VINDICIAS.

tem scilicet divinam) *ad hoc principium cognoscendi statuerint*; seu, ut ipsi loqui placuit, *adjunxerint & aggregaverint*; tunc certè non video, quid simus responsuri, si quis Virum Consultissimum ejusdem & gravioris adhuc imputationis reum esse diceret. Grotius & præcipue Pufendorfius *unum* saltem principio *essendi* adjungunt & aggregant principium cognoscendi, sed Vir Consultissimus in tractatu suo, [nam in Disputatione ipsa nihil fere hac de redictum erat] *part.* prior. *quest. 3. pag. 46. seqq.* eidem principio *essendi* *sex* principia cognoscendi (sive probandi, nam hæc synonymia sunt) adjungit & aggregat, scilicet *Verba DEI, actiones Creatoris, finem actionis necessarium, mediū necessitatem & naturam perfectissimi Creatoris.*

### §. XII.

Ex his adductis patet, DD. hactenus inter se non disputasse de principio *essendi* unico, vero & adæquato, voluntate scilicet divina, quam omnes pro tali agnoverunt & adhuc agnoscunt, sed de principio *cognoscendi*, quod illud etiam unicum esse debeat, ubi tamen Vir Consultissimus unius loco sex substituit. Omnia ergò, quæ in integro tractatu de memorato principio *essendi* adducuntur, ambabus manibus largimur & largiuntur omnes scriptores recentiores, neque ergo opus est, ut singula percurramus, quæ hæc parte adducta fuerunt. Illud ergo unicum restat, ut, quia Vir Consultissimus principium socialitatis etiam tanquam principium cognoscendi admittere noluit, nonnulla adhuc adferamus, quæ ad illustrationem eorum, quæ in *Delineatione historie juris divini* diximus pertinere videntur.

### B. 2

### §. XIII.

## §. XIII.

Ad duas autem classes referri possunt, quæ Viro Consultissimo contra principium socialitatis adferre placuit. Primum ipsius argumentum part. post. p. 6. num. 27. hoc est, dictum principium ideo non esse ad-  
æquatum, quia non omnia bella, licet turbent pacem  
externam, probibita, sed quadam maximè licita sunt,  
quem in finem ad Grotium de I. B. & P. lib. I. C. 2.  
provocat. Secundum argumentum exinde desumit,  
quia multa (ex ipsius hypothesi) sunt contra jus natu-  
re, quorum tamen turpitudo ex principio socialitatis de-  
duci nequit potest, in cuius argumenti probatio ne  
passim in Disputatione inaugurali, nec non in tractatus  
sectione utraque prolixè occupatus est. De singulis  
ordine & breviter agemus.

## §. XIV.

Quod *Primum* attinet, res iterum distinctè &  
absqve confusione decidi nequit, nisi diversa bellorum  
genera ab invicem separemus. Notum enim est, a-  
lia bella *offensiva*, alia autem *defensiva* appellari. Ergo  
si Vir Consultissimus aliquid contra principium soci-  
alitatis cum effectu inferre voluisse, hoc probare de-  
buisset, quod dicti principii Defensores bella *offensiva*  
(quippe quæ sola pacem externam *turbant*) jure na-  
turæ licita & permissa esse asserterent. Hoc autem nun-  
quam faciet. Locus etiam, quem ex Grotii I. I. C. 2.  
citavit, ipsi non proficit. Loquitur enim Grotius in  
§. I. n. 7. expressè hunc inmodum, quod contra so-  
cietatis naturam non sit, sibi prospicere atque consule-  
re, dum *jus alienum* non tollatur, & proinde nec vis,  
que

## NATURALIS EJUSQUE VINDICIAS.

4

*que* *jus alterius non violat*, *injusta sit*, *qua* *predicata sine dubio ad bellum offensivum applicari non poterunt*. *Quod vero bellum defensivum cum custodia socialitatis consistere possit*, *id nullam contradictionem involvit*, *cum tamdiu saltem me erga alios socialem exhibere adstringar*, *quamdiu alter a sua quoque parte se tales exhibet*. *Et notum est*, *defensionem toties licitam esse*, *quoties offensio injusta est*, *nec videri potest*, *quomodo alter de rupta socialitate adversus defensorem conqueri valeat*, *qui prius a sua parte vincula socialitatis rumpere non dubitavit*.

### §. XV.

Quoad secundum, nescio ab initio, quo fundamento inductus Vir Consultissimus part. post. p. 64. n. 2. posuerit, quod ego fassus sim, non omnia iura naturae ex principio socialitatis deduci posse; fassus sum, incestus, sodomitæ, &c. turpitudinem non posse deducere ex principio socialitatis, sed hoc non sunt fassus, talia Crimina esse contra jus naturæ, id est, solam rationem sibi relictam ejusmodi turpitudinem absque accedente Divina revelatione cognoscere & alteri evidenter demonstrare posse. Ast ramen. p. 67. n. 16. addit, nullum aliud esse, quod evidentius & magis directo contra naturam sit, quodque natura magis horreat & abominetur. Sed hæc quidem dicuntur, non autem probantur. Quod si Vir Consultissimus per naturam ipsum DEUM intelligit, v. part. post. p. 59. n. 19. (quippe qui a nonnullis *natura naturans* appellari consuevit) tunc vera quidem ejus est assertio, sed tunc etiam mihi non contradicit, quia de eo saltem

B 3

qua-

## DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

querò , utrum voluntas divina per solam rationem cognosci possit. Verum etiam manet, quod Christiani (utinam omnes!) qui lumen revelationis habent, talia criminá horreant & abominentur, sed exinde nondum conficitur, quod eadem abominatio in illis deprehendatur, qui tali revelationis lumine destituti vivunt.

### §. XVI.

Nec quicquam obstat, quod tamen multæ gentes, quæ scripturam non habuerunt, ab incestu, &c. abstinuerint ; nulla enim est consequentia : Gentes hoc vel illud factum pro turpi reputarunt, ergo hoc ex solo rationis sibi relicta dictamine cognoverunt. Hauserunt multa ex traditionibus, quemadmodum alii jam ostenderunt, Aegyptios rudimenta Legum suarum ab Hebreis accepisse, idem quoad Græcos observandum, quorum Leges deinde ad Romanos translatae sunt, quæ de re Mornæus *de veritate Christianæ Religionis Cap. 8.* legi meretur. Sed tamen Vir Consultissimus etiam probare nequit, apud omnes Gentes quascunque incestus species , quæ in S. Scriptura prohibentur, pro turpibus habitas fuisse. Atheniensibus enim eodem patre natas uxores duçere licebat juxta Corn. Nepotem *in Vita Cimonis*, qualia plura de aliis Gentibus recenset Pufendorff de J. N. & G. lib. 6.c. 1. §. 34. seqq. Quare vero Deus Gentes ob incestum puniverit, de eo dictum in *delineat. bistor. jur. div. §. 116.*

### §. XVII.

Miror vero, Virum Consultissimum p. 66. afferuisse, quod adulteria non turbent socialitatem pacem externam. Deprehenduntur sanè interdum nonnulli bo-

boni viri, qui non solum vident & patiuntur, sed etiam  
*qui ducunt nictidos in sua tecta processos,*  
 (quales quatuor cornibus præditos esse jocatur non  
 nemo;) sed hi rariores sunt & regulam constituere  
 nequeunt. Quantus ē contrario dolor & quanta  
 inimicitia adversus adulteros ut plurimum oriri so-  
 leat, exinde facile pater, quod Romani jus occidendi  
 adulterum in adulterio deprehensum permiserint. Et  
 hæc tam aperta sunt, ut probatione aliqua non indige-  
 ant. Quod verò addit, non adesse turbationis causam,  
 si communio uxorum consensu gentium esset recepta,  
 (an bene, an male, nunc non disputamus), id planè  
 à scopo abludit, quia tunc non darentur adulteria.

## §. XIX.

Percurramus jam sigillatim ea dæbia, quæ Vir  
 Consultissimus in part. post. p. 58. seqq. attulit. Dicit:  
*Pænam mortis non posse firmiter inferri ex societatis flu-  
 dio;* quid tum postea? quamvis enim hæc ex præce-  
 pto juris naturæ non posset inferri, nihilominus ta-  
 men etiam studium socialitatis non prohibet, quod  
 minus talis pœna statui in Republica possit contra il-  
 lum, qui vincula socialitatis rapit, v. §. XIV. Dicit:  
*materiam successionum, contractum, &c. item condicione-*  
*Romanarum non posse ex principio socialitatis de-*  
*duci;* si Vir Consultissimus de solennibus contra-  
 stuum, de certa determinatione successionis & alio-  
 rum negotiorum loquitur, concedimus facile ipsius  
 assertum, hæc omnia enim ex Legibus civilibus de-  
 scendunt, nec ulla necessitas nos urget, ut hæc præ-  
 cisæ ex jure naturæ deducamus, interim tamen jus  
 natu-

6 DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS  
naturæ dictitat, omnia promissa, qualitercumque ef-  
facta fuerint, servanda esse, aut si non servantur, re-  
mediis compulsivis locum dari, quia alias violaretur  
socialitas & pax inter contrahentes.

S. XIX.  
Pergit: Adamum, cum salus esset, se ipsum accidere pos-  
sese non obstante principio socialitatis; sed nos non dispu-  
tamus de tali jure naturæ, quad locum haberet, si unus  
solus homo existeret, sed quod nunc valet, postquam  
hodie multi homines in societate vivunt. Quod verò  
addit: nec post societatem insigne adeo nefas fore (si quis  
se interficeret) cum non admodum verenda inde esset so-  
cietatis turbatio, quia in se, non in societatem saviret, id prin-  
cipium petere videtur. Homo enim, quicunque sit, non  
propter se solum, sed propter alios etiam creatus est, ut  
& suam & aliorum utilitatem promoteat, (hoc enim est  
socialiter vivere) aut re, aut consilio, unde sine dubio in  
socios injurius est, qui per autocheiriam aliorum com-  
modo & utilitatis subtrahit. Et quod se subtrahere non  
debeat, id ipsum exinde quoq; fluit, quia ut ipse dicit Vir  
Consultissimus, viventi cupido naturalis est hominibus.

S. XX.  
Instat: Ita homines naturaliter tenebantur & coge-  
renerur ad matrimonia, quia necessaria sunt ad custodiendam  
& augendam societatem, quod tamen nemo dixerit;  
Imò hoc dixit inter alios Pufendorff. l. 6. C. I. §. 7. homi-  
nes ad matrimonium ex ratione à Viro Consultissimo  
adducta obligari, quæ tamen obligatio singula individua  
tunc non stringit, si sat multi alii deprehenduntur, qui  
generatione prolixi occupantur, aut si quis facultate alien-  
di

di uxorem nonandum polleat, quia præcepta affirmativa ad suimptionem commodam occasioem requirunt.

## §. XXI.

Unde verò probabit Vir Consultissimus, quod jura inter DEUM & homines quoque ex jure natura deduci debeant, an forsan ex l. 1. §. 4. junct. l. 2. ff. de I. & I. illa verò probatio rem non conficiet, quia in hac controversia Legum Romanarum nulla est autoritas, præcipue cum ea, quæ de jure naturæ in dictis Legibus habentur, nonnisi ex principiis Philosophiæ Stoicæ, quam nos non profitemur, explicari possint. Hac occasione etiam de iis videndum, quæ d. part. post. p. 71. habentur. Dixeram ego: jura inter DEUM & homines non deduci ex jure naturæ, sed antea jam supponi; obiicit Vir Consultissimus, contradictionem videri, principium juris universale & adequatum esse, & tamen quedam extra illud supponi, nam illud demum verum principium esse, in quod omnia jura resolvuntur. Verum hic provoco ad omnes, qui jurisprudentiam profitentur, an unquam sub Vocabulo *Jurisprudentia* aliud quid intellexerint, quam tales Disciplinam, quæ officia hominum inter se pro objecto habet? ego quidem hactenus in scriptis eorum Jectorum, quæ mihi legere licuit, alium significatum invenire non potui. Hic significatus autem non ad solam jurisprudentiam civilem, sed ad naturalem quoque pertinet, quia & hæc est Juris prudentiæ species. Non ergò confundamus *Theologiam naturalem* & *Jurisprudentiam naturalem*, disciplinas distinctissimas, quarum illa de officiis hominis erga DEUM, hæc autem de officiis hominum inter se agit. Quæ ergo est contradic̄tio, quod extra

C

prin-

## 81 DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

principium socialitatis quædam supponantur, quæ ad jurisprudentiam naturalem non pertinent, & quid propterea decedit ejus principii veritati & universalitati, quia illud non simul principium disciplinæ alterius cuiusdam planè diversæ? Idem quoad ea observandum, quæ de Angelis & officio erga eosdem d. p. 71. tradit Vir Consultissimus, quamvis planè nondum probaverit, quod existentia Angelorum ex ratione demonstrari possit, nam quoad ea, quæ de testimoniis quorundam Philosophorum Gentilium adducit, repeti debent, quæ supra §. XVI. diximus.

### S. XXII.

Porrò obiicit Vir Consultissimus p. 59. cultum quoque parentum nullo modo ex principio socialitatis sequi, non enim ex cultu neglecto societatem everti necessum esse, fluere vero illum unicè ex voluntate DEI; Lusus in terminis est. Verum est, cultu parentum neglecto non everti societatem, sed quis, quæso, unquam dixit, ea tantum esse contra jus naturæ, quæ societatem evertunt? Sufficit ergo, quod per neglectum cultûs paterni liberi socialitatem & pacem turbent, & eò ipso tanquam Autores rixæ Parentibus occasionem suppeditent, inobedientiam illam violentis etiam mediis justè coercendi. Quis interim negavit, quin cultus parentum ex voluntate divina tanquam ex principio essendi unicè profluit? non exclusò tamen principio cognoscendi.

### S. XXIII.

Ea vero, quæ sequuntur d. p. 59. nollem, Viro Doctissimo excidissent. *Raptus*, inquit, tam Sabinarum, quam Silistarum liciti fuissent, utpote ad conservationem societatis adhibiti. Ita revera Latrones, an-  
ibro-

*thropopbagi, &c. non obligarentur jure nature, quia vel negant sibi societatem esse, vel, si qua sit, illam respuant, hi ergo ex alio principio convincendi sunt.* Videamus, an hæc, quæ recensentur, ad principium Socialitatis quadrant. Præcipit illud ad normam voluntatis divinæ Nibil esse faciendum, quod socialitatem & pacem, que cum aliis, non solum personis privatis, sed integris etiam populis colenda, quocunque modò turbet, queritur jam, an raptus Sabinarum & Siloitarum, item an Latrocinia, &c. socialitatem & pacem non turbarint, aut communiter turbare soleant, (nam quamvis interdum aliquis iuri suo renunciet & talia non ulciscatur, hoc ad rem non pertinet:) queritur, inquam, an homines, quibus vel filiæ vel res in commercio existentes invitatis afferuntur, hoc æquo animo perferre conservarent, aut annon potius tale illicitum factum eos, quibus illatum ad justam vindictam permovere soleat? Non opus esse videtur, ut responsionem addam, ita cuilibet illa in oculos incurrit. Quis enim unquam illud pro principio juris naturæ venditare cogitavit, quod ad custodiam privati hominis, vel unius particularis societatis cum injuria & lesione aliorum pertinet, in qua opinione est Vir Consultissimus pag. 63. num. 7. Überius hac de re jam egi in *Delineat. bistor. jur. nat. §. 69.* quod me brevitiatis causa remitto. Ceterum, si homines quidam tam absconi essent, ut negent sibi societatem esse (melius: sibi socialitatem colendam esse, nam hæc duo sæpe etiam, sed malè confunduntur,) aut si socialitatem respuant, annon existimat Vir Consultissimus, ut eò etiam absurditatis prolaberentur ejusmodi homines, ut illa sex-

20 DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

principia cognoscendi voluntatem divinam, quæ ipse tradit *part. prior. p. 47. seqq.* similiter responderent, annon dicerent forsan ea planè non esse evidenter, v.g. ex quo motu hominis & actione Creatoris voluntas divina sit cognoscenda, quisnam sit finis necessarius, quænam sit medii necessitas & quid ex natura perfectissimi Creatoris consequatur, &c.

§. XXIV.

Agmen objectionum *d. p. 59.* claudit sequens: *Prohibitionem Polygamie injustam fore & contra jus naturæ, quia multitudo procreationum facit ad promovendam & augendam societatem humanam, adeoque bac ipsa per illum prohibitionem turbaretur.* Procederet hæc Viri Consultissimi assertio, si jus naturæ polygamiam præsiperet, tum enim contra hoc præceptum nullus Legislator humanus aliquid statuere posset; ast quis unquam statuit, Polygamiam esse ex jure præceptivo? Unde, quia jus naturæ eandem factem permitit, ea quoque fine dubio rectè prohibetur, præcipue cum nec eâ prohibitâ procreationum sit penuria.

§. XXV.

Adhuc unum Viri Consultissimi argumentum ad hanc classem pertinet, quod *d. part. post. p. 72. n. 15. seqq. de Eremiis* habet, nam de Latronibus in §. XXIII. jam vidimus. Primo dicit, Eremitas ex hypothesi eorum, qui Deum pro primo juris Naturæ principio (ef- fendi) non habent, socialitati renunciare posse; sed cum nemo hanc hypothesin, nec ipse Grotius ut supra ostensum, soveat, hinc quoque ut multa verba de ea faciamus, operæ pretium non videtur. Deinde, subjunxit, quamvis voluntas divina pro tali principio habeatur,

tur, nullam tamen rationem impedire, quod minus quis ab ea (societate) recedere possit. Recte, quis impediret aliquem, quod minus à societate recedat, sed illud voluntas divina impedit, quod à socialitate recedere neutrum quam possit, id est, quamvis e.g. Eremita actu in societate non vivat, non tamen debet alios, qui in societate permanent, nec palam, nec clanculum, lacerare, nec etiam se subtrahere, si quis ad eum accedat, qui ejus consilio & auxilio indiget. Socialitas enim non in utilitatem unius, sed in omnium commodum introducta est & quidem ex Legis præcepto.

## §. XXVI.

Removendæ nunc quoque sunt contradictiones, quas Vir Consultissimus illis, qui principium socialitatis defendunt, imputare voluit. Dixeram, lumen rationis maxima imbecillitate laborare & sic longè plura in jure divino (revelato scilicet universalis) prohiberi, quam quæ ex jure naturæ tanquam illicita deduci possint. *Anne*, inquit Vir Consultissimus, (p. 65. n. 3. part. post.) *bac pugnare videntur, esse principium verum & adequatum, & tamen tam imbecillum, ut inde omnia gentibus illicita deduci nequeant.* Ego nullam pugnam video. Quod autem Viro Consultissimo ita visum fuerit, hoc exinde sine dubio provenit, quoniam ille nescio ex qua causa, inter lumen rationis & revelationis differentiam agnoscere non vult, v. *suprà §. III. & IV.* & sic supposedit, quod omnia, quæ Gentibus illicita sunt, necessariò ex jure naturæ deduci debeant, quorum magnam partem nos ex jure revelato deducimus. *Nec bee, addit, componi posse existimo, lumen rationis maxima imbecillitate laborare.* Illa enim imbecillitas si esset, non in luc-

## DUBIA CIRCA PRINCIPIUM JURIS

*mino rationis, sed in hominibus existentes, & horum, non illus vicium foret.* Nemo aliter dixit, quam quod ex hominum vitio obscuratio & imbecillitas luminis rationis proveniat, & sic quando imbecillitas de eo lumine praedicatur, eam semper ex hominum vitio provenie quilibet confitetur. Deinde verum quidem est, *quod si ratio integra mansisset, prohibitus illa ex ipso jure naturae cognosci potuisset*, v. g. incestus, sodomitæ, &c. sed quod addit, *jus naturæ & idem bodie esse*, quod olim in Statu integro fuit, id est, idem adhuc hodie sine revelatione cognosci posse, quam quod in Statu integratæ de moralitate actionum humanarum cognosci poterat, hoc serio sine dubio non dixit Vir Consultissimus, cum tristissimum sit, quod mutato statu etiam jus mutetur. Voluntas divina manet eadem, Vir Consultissime, sed non principium eandem cognoscendi, id est, ratio sibi relicta, quæ post lapsum obscurata est, quod pluribus jam olim contra Valentini Alberti ab aliis ostensum fuit. Nolle mihi sanè, ut principium cognoscendi cum ipsa voluntate divina, tanquam principio essendi & fonte juris naturæ, semper misceretur.

## XXVII.

Postremò p. 74. adversa fronte pugnare existimat socialitatem esse principium & tamen aliud esse prius. Sanè, si principium essendi & cognoscendi pro uno eodemque habentur, pugna sine dubio adest, sed quoniam ita misceri non debent, quia ipse Vir Consultissimus sex principia cognoscendi sive probandi statuit, nulla repugnantia exinde oritur, licet statuam, principium socialitatis hoc respectu, quando scilicet de modo cognoscendi agitur, esse primum, alio tamen respectu adhuc prius

## NATURALIS EJUSQUE VINDICIAS.

23

prius esse , scilicet quando de primo autore juris naturalis agitur. Et his observatis , quamvis de uno saltem jure non de diversis agatur , socialitas tamen sād sensu & certo respectu primum dici potest principium , & omnino ad latam distinctionem ad tollenda alia dubia quoad Pufendorffii assertiones obvenientia facere adhucdum arbitror.

### §. XXIX.

Prout ab initio dixi , ita adhuc repeto , me facile pati posse , ut Vir Consultissimus novum significatum *juris naturae* assumat & lumen rationis atque revelationis pro synonymis habeat ; sed hoc facto aliorum principia non statim corruere autūmo , qui Vocabulo juris naturae utuntur , prout hactenus ejus significatio inter scriptores hujus Disciplinæ usitata fuit , eoque ipso nihil aliud indigitant , quam jus illud , quod omnibus Gentibus sacra scriptura destitutis liquidò demonstrari potest . Omnes Gentes illud pro turpi reputant , quod pacem turbat ; ast si ad verba Creatoris provokes , haec ad jus revelatum pertinent ; si ad motus homini iudicos , si ad actiones Creatoris earumque finem nefariorum & mediorum necessitatem & denique ad naturam perfectissimi Creatoris , nescio , an exinde homo ethnicus convinci possit , cuius motus naturales , (nam de iis sermo est) sapius ad perversa , quam ad honesta tendunt & cui de fine actionum Creatoris , mediis ad eum obtinendum pertinentibus , natura item entis perfectissimi ex coe cutiente ratione parum vel nihil constat . Ex sacris literis quidem omnia ea felicissime hauriuntur , sed tunc non amplius versamur in limitibus juris naturae .

### §. XXIX.

## §. XXIX.

Concludit Vir Consultissimus p. 75. *Cum autem hactenus fere tantum disceptatum sit, quid Pufendorffius senserit, liceat pace V. C. querere, cui bono? Nec tanti id est, nec mea refert, neque contra Pufendorffium, sed pro veritate juris naturalis dispuo.* Mea, Vir Consultissime, eatenus refert, mentem Pufendorffii circa principium juris naturae eruisse, quoniam ejus hypothesis de socialitate hactenus non ex cœco aliquo præjudicio, sed veritate doctrinæ convictus, secutus sum, & quoniam tamen ea hypothesis tanquam temeraria, perniciosa, non toleranda, (v. Disp. §. 36. & 38.) ut alia tacem, depicta erat. Interim non solùm integra Disputatio Viri Consultissimi, sed etiam Tractatus doctissimus deinde editus (cui Vindiciae adversus meam Delinationem insertæ sunt) aperte ostendit, Virum Consultissimum revera contra Pufendorffium præcipue disputasse.

## §. XXX.

Hæc pro tenuitate ingenii mei nunc sufficiant. Non potui ex iterata perlustratione harum pagellarum deprehendere, me aliquid posuisse, quod acerbum esset atque ita comparatum, ut singularem illum adfustum, quô Vir Consultissimus me hactenus prosecutus est, laedere valeret, quod si vero tale quid præter intentionem meam irrepserit, illud hoc ipso revoco & detestor. Nihil addo, quam ut enixe rogem, ut Vir Consultissimus eundem, quem hactenus expertus sum favorem, erga me continuare haud detrectet, cuius ego vicis sim, merita condignis exornare encomiis nunquam decero. Dabam in Academia Fridericana d. II.

Octobr. A. O. R. M. DCCIII.